

67

[Handwritten signature]
[Handwritten initials]



J. q. 296.



177





LOCVS
DE
SACRAMENTIS
EXPOSITVS, ET ILLV-
STRISSIMO PRINCIPI AC DO-
MINO, DOMINO AVGVSTO, DV-
ci Saxoniae, Sacri Romani Imperij Archi-
marschallo, Electori, &c. Confessionis
loco exhibitus à Victorino Strige-
lio, Anno Christi

1566.

*In fine adiuncta est eiusdem Victorini ex-
plicatio definitionis Coenae Dominicae, in
libello Examinis Theologici D. Philippi
Melanchthonis tradita.*



NEOSTADII,
TYPIS MATTHÆI HARNISCH.
M. D. LXXXIX.

SA CARAMELIS

EXPOSITVS ET LIT

STRIMONTINOPHILACD

MING HOMINO AVGVTOBY

1522

1522

1522

1522



L. 213,



CAPVT I.
DE SACRAMENTIS
IN GENERE.

*Quid sit sacramentum, & de causis pu-
blicis & priuatis, propter quas Sacramenta
instituta sunt.*

Sacramentum in nouo Testamento, vt Ecclesia loquitur, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditæ, vt *fr. testimonium & pignus exhibitæ & applicatæ promissionis gratiæ.* Sunt autem instituti ritus propter publicas & priuatas causas. Publicæ sunt signa distinctionis Ecclesiæ à cæteris gentibus; vt Baptismus, & Cœna Domini discernit Ecclesiam ab alijs hominibus. Vult enim Deus non conspici visibiliter, sed vult agnosci filium, & audiri in toto genere humano, sicut dictum est: *Hunc audite.* Item: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Vult exerceri confessionem, & notam esse inuocationem sanctorum. Præterea Cœna neruus est publicæ congregationis; quia enim Deus hoc modo colligit Ecclesiam, & non aliter, videlicet, voce Euangelij; vult hanc sonare in publicis honestis congressibus, sicut dictum est: *In conuertendo populos in vnum, & reges, vt seruiant Domino.* Et vt talis congressio sit conspectior, & quasi fœdere aliquo copulata, hic ritus additus est, qui similis est libationi vsitatæ Patribus. Hæ publicæ causæ non sunt obscuræ. Diligenter autem priuata causa in singulis consideranda est, videlicet, quòd sint signa voluntatis Dei erga nos. Vt enim in

A 2 promif-

promissione offertur gratia & reconciliatio: Sic in his externis ritibus idem sentiatur; & ritus est commune- factio, pignus, & applicatio ostendens promissionem gratiæ ad singulos pertinere. Sic vocat Paulus circum- cisionem, sigillum iustitiæ. Et sicut promissio fide acci- pienda est: ita in hac commonefactione & applicatione fides necessaria est. Ideo cum interrogamus de usu Cœ- næ Domini, vsitatè respondetur: Utendum ea esse ad confirmandam fidem, quæ hac scilicet commonefactio- ne excitanda est, & agnoscendum testimonium applica- tæ promissionis. Ita priuatim primus & immediatus fi- nis est & principalis, hæc consolatio seu confirmatio fi- dei. Postea accedunt multi fines subordinati: Gratiarum actio, Inuocatio, Confessio, doctrina, fœdus Concordiæ cum cæteris hominibus in eadem Ecclesia. Ideo & no- mina huius ritus multa sunt, de quibus suo loco dicitur.

CAPVT II.

De numero Sacramentorum.

AVgustinus duo tantum sacramenta noui Testame- ni recenset, sic enim scribit Epist. 118. ad Ianua. *Pri- mum itaq; te tenere volo, quod est disputationis huius caput, Do- minum nostrum Iesum Christum, sicut ipse loquitur in Euange- lio, leni iugo nos subdidisse, & sarcina leui. Vnde sacramentis nu- mero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione prestan- tissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus & communio corporis & sangui- nis ipsius. Et lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9. Hoc ve- rò tempore, posteaquam resurrectione Domini nostri manifestis- simum indicium libertatis nostræ illuxit, ne eorum quidem si- gnorum, quæ intelligimus, operatione graui onerati sumus: Sed quadam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu*

argu-

SACRAMENTIS.

3

augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

CAPVT III.

De discrimine verbi & Sacramentorum.

Rectè dixit Augustinus tractat. 10. in Ioh. Sacramentum est verbum visibile, hoc est, idem monet, quòd promissio accipienda sit auribus, & mens intuens signum commonefiat de voluntate Dei erga nos, & statuat se iuxta promissionem recipi. Est & hoc discrimen consideratione dignum. Euangelium nullam admittit dispensationem, quia fides est ex auditu, auditus per verbum: quomodo credent nisi audierint. Sacramenta verò in casu impossibilitatis, id est, cum haberi non possunt, admittunt dispensationem, si persona sit credens: quia non priuatio, sed contemptus damnat. Præclare igitur Prosper sentent. 149. *qui etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quam si abluerentur fonte baptismatis.* Et Ambrosius de Valent. Imperat, inquit: *Quem regeneraturus eram, amisi: veruntamen gratiam quam ille poposcit, non amisi.* Hæc verissimè dicuntur de eo casu, in quo vsus sacramenti non contemptus, sed impossibilitas excludit.

CAPVT IIII.

De discrimine Sacramentorum veteris & noui Testamenti.

Differunt vtriusq; Testamenti Sacramenta, non re, sed modo rei. Ac primùm quidem discrimen in oculis in-

A 3

los in-

LOCVS DE

4
 los incurrere sumitur à ritibus. Alterum à modo significandi. Nam illa significabant venturum; hæc significant exhibitum Messiam. Tertium ab obligatione. Illa enim tantum obligabant Israelitas; hæc verò totam Ecclesiam obligant vsque ad finem mundi.

De his discriminibus teneatur dictum Augustini, tractat. 26. in Ioh. *Sacramenta illa quæ fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt.* Epist. 5. *Alijs sacramentis prænunciari Christum, cum venturus esset; alijs cum venisset, annunciari oportuit.* Epist. 57. *Non audemus fideles temporis nostri præferre amicis Dei, per quos ista nobis prænunciata sunt.* Epist. 157. *Eadem est fides nostra & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Vnde dicit Apostolus Paulus: *Habemus eundem Spiritum fidei: Secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum.* Si ergo eundem Spiritum fidei & illi habebant, qui venturum in carnem Christum prænunciauerunt, quem & iam illi, qui eum venisse nunciarunt: Sacramenta esse potuerunt pro temporum diuersitate diuersa, ad veritatem tamen fidei eiusdem concordissimè recurrentia. Tractat. 45. in Ioh. *Videtis ergo fide manente signa variata; Ibi Petra Christus; nobis in altari Domini, panis; & illi pro magno Sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de Petra; nos quid bibamus, norunt fideles: si speciem visibilem intendis, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.*

CAPVT V.

*De discrimine Sacramenti &
 Sacrificij.*

NEcessè est in Ecclesia intelligi discrimen inter sacrificia, & signa, quæ propriè nominantur Sacramenta.

SACRAMENTIS.

menta. Nam per sacramenta Deus nobis exhibet & applicat suas promissiones, vt per Baptismum recipit hominem. Sacrificia verò sunt opera, quæ nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus, vel vt testemur nos sentire hunc verum esse Deum, quem inuocamus, & cui hanc obedientiam præstamus. Vt castitas Ioseph est sacrificium, quia Deo hanc obedientiam præstat, & ostendit, Deum, quem ipse colit, talem esse, qui velit castitatem, & hanc obedientiam postulet. Sunt autem duæ species sacrificiorum: Propiciatorium & Eucharisticum. Propiciatorium seu *ἱλασικόν*, est tota obedientia Christi, quæ sola meretur remissionem peccatorum hominibus. Aliorum sanctorum bona opera omnia facta in fide, sunt Eucharistica, & non merentur remissionem peccatorum. De hoc dictum est Osee 14. *Omniem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*, hoc est, Inuocationem, gratiarum actionem, laborem docendi. Hæc nominantur aliàs sacrificia laudis. Et de patientia in cruce inquit Psal. 51. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Denique omnia bona opera sanctorum in fide, etiam typica huc pertinent; quia facienti in fide erant signa confessionis & gratiarum actionis.

Hanc declarationem monstrantem discrimen inter sacrificium *ἱλασικόν* & *εὐχαριστικόν* necesse est in Ecclesia extare, quia necesse est discerni sacrificium Christi à cæteris omnibus.

CAPVT VI.

Regula de Sacramentis.

I.

Ecclesia nec materiam nec formam mutare potest.
 Cùm enim hominis testamentum nemo mutare debeat.

beat, multò minùs testamentum Dei mutandum est, vt Paulus inquit ad Galatas.

II.

Sacramenta extra vsum institutum, non sunt sacra-
menta: quia talis vsum non habet verbum, & repugnat
institutioni. Ideo Missa, in qua fit oblatio & applicatur
alijs, non est sacramentum, sed horribilis idololatria.

III.

Vsum sacramentorum sine fide, est personæ vtenti o-
ciosa ceremonia, iuxta dictum Marc. vlt. *Qui credide-*
rit & baptisatus fuerit. Actor. 8. *Si credis ex toto corde, licet*
baptizari. Rom. 2. *Circumcisio prodest, si legem obserues: Si*
autem prauaricator legis es, circumcisio tua fit preputium. Au-
gust. lib. 4. Quæst. in Num: *Non prodest baptismus, si de-*
sit fides. Hieron: in Ezech: cap. 16. *In Ecclesia qui non plena*
fide accipiunt baptismum, non Spiritum, sed aquam suscipiunt.
Ex his dictis intelligi potest in vsum Sacramentorum fi-
dem esse necessariam.

IIII.

Etsi Deus seuerissimè præcepit conseruari ministe-
rium, cuius pars est administratio Sacramentorum: ta-
men concedit in casu impossibilitatis dispensationem
credenti, vt multi Martyres catechumeni interfecti
sunt ante baptismum. Hæc regula non abolet ministe-
rium, sed adhibet dispensationem in peculiari casu.

V.

Sacramentum est applicatio generalis promissionis
ad singulos, qui fide vtuntur. Non igitur Deus in Sa-
cramentis nouos articulos fidei nobis tradit, sed pro-
missionem prius traditam his sigillis confirmat & ap-
plicat.

VI. Nec

VI.

Nec aliter adest Filius Dei sacramentis, quàm ministerio verbi, quòd ad effectum attinet, etiam si externa symbola differunt. Vt enim Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti: Sic baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

DE SACRAMENTIS IN
SPECIE, AC PRIMVM QUIDEM
de Baptismo.

CAPVT I.

*Quid sit Baptismus, & de beneficijs quæ
in hoc exhibentur.*

Baptismus, est instituta à Filio Dei mersio in aquam, cum pronuntiatione verborum: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, testificans eum, qui cum hac pronuntiatione verborum mergitur, reconciliari cum Deo propter Christum, & sanctificari Spiritu sancto ad vitam æternam. Et si autem ex definitione intelligi potest, quæ beneficia in baptismo credenti exhibeantur, videlicet, gratia, & donum per gratiam; tamen testimonia colligam, quæ magnitudinem amplissimam beneficiorum illustrent. Ad Tit. 3. *Saluos nos fecit secundum suam misericordiam per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per Iesum Christum.* Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & ir-*
B *reprehen-*

reprehensibilis. Gal. 3. Quicumq; baptisati estis, Christum induistis. Marc. 16. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. 1. Pet. 3. Baptismus est stipulatio bonæ conscientie erga Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dextram Dei.

His testimonijs diuinæ vocis addantur duo insignia dicta; Vnum Chrysofomi, quod citat Augustinus lib. 1. contra Iulian. Alterum Prosperi.

Sic enim Chrysofomus inquit, enarrans Psalm. 78. *Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus, qui fecit vniuersa, & conuertit vniuersa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captiui; & ciues Ecclesie sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & iustitia in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti; & non tantum sancti, sed & iusti; non solum iusti, sed & filij; non solum filij, sed & heredes; non solum heredes, sed & fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed & coheredes; non solum coheredes, sed & membra; non solum membra, sed & templum; non tantum templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint baptismatis charitates; & nonnulli disputant cælestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere, nos aliter honores computauimus decem.*

Prosper in Epist. ad Demetriadem dulcissimè inquit: *Dum exterior homo in baptisate abluatur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri; vasa ira in vasa misericordie transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati; de impijs iusti, de captiuis liberi, de filijs hominis filij Dei. De his verbis cogitantes militemus præclaram militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, & ambulemus non vt fatui, sed vt sapientes; & lapsi non desperemus, sed redeamus ad Deum: quia baptismus est perpetuum fœdus, & testimonium promissæ reconciliationis. Vt enim sapiens & pius gubernator nauis recipit prolapsos in mare, si modo ad nauim redeant, freti ipsius bonitate: ita æternus Pater optima fide præstat promissâ, & vult beneficia in*

SACRAMENTIS.

et in baptismo inchoata perficere, si modò abijciamus propositum peccandi, & fide erecti statuamus gratiam vberiore & potentio rem esse peccato.

CAPVT II.

De discrimine baptismi Iohannis & Apostolorum.

Sæpè quæri solet: quid intersit inter baptismum Iohannis & Apostolorum, & sequentium ministrorum Euangelij? Non difficilis responsio est, nobis intelligentibus officium Iohannis. Verum est personam Messia discernendam esse à ministris. Solus baptizat Spiritu sancto, id est, propria potentia dat Spiritum sanctum, nouam lucem, iustitiam, & vitam efficit in credentibus. Alij doctores omnes baptisant aqua, id est, sunt ministri vocis Euangelij & sacramentorum, per quæ Filius Dei est efficax; sed tamen ministerium Iohannis, Apostolorum, & sequentium doctorum noui Testamenti significationem & effectum eundem habet. Ioannes enim est inchoator prædicationis Euangelij sub initium noui Testamenti. Audita voce Iohannis senserunt Electi iram Dei aduersus peccatum, & expauerunt. Et rursus credentes voci monstranti Christum, acceperunt remissionem peccatorum, & inchoata est in eis noua & perpetua iustitia & vita. Eadem fiunt & in concione Apostolorum, & sequentium ministrorum vsque ad finem mundi. Ideò in Luca dicitur: *Prædicans baptismum penitentia in remissionem peccatorum*; quasi dicat, Iohannis concionum non erat inanis sonus, sed Deus voluit esse efficax per vocem Iohannis, quem voluit esse testem de nato Messia, & inchoatorem prædicationis Euangelij. Neque verò imaginandum est Iohannis vocem tantum fuisse

fuisse testimonium forense. Hæc imaginatio nimis profana est; sed sciendum est res magnas, & ad vitam æternam pertinentes, in Ecclesia geri. Deus voluit per Ioannis concionem monstrare Messiam, & de eo testimonia tradere; voluit & rursus colligere aliquam Ecclesiam, & huic voce Ioannis vitam æternam impartiri. Hæc plurimum differunt à forensibus testimonijs: & de his mirandis operibus Dei, longè aliter sentiendum est, quàm de negocijs profanis. Dixi breuiter de hac quæstione, de qua in Petro Lombardo quædam absurda dicuntur, quæ non difficile est iudicare intelligenti vim ministerij Euangelici.

CAPVT III.

De Baptismo infantium.

Certissimum est extra Ecclesiam, quam Deus ab initio vocauit & condidit, edita promissione de Filio, nullam esse salutem. Vt enim extra arcam Noë in diluuiio nulli homines seruabantur incolumes: ita extra hunc cœtum, qui amplectitur Euangelium, nulli sunt heredes æternæ consuetudinis cum Deo, vt sæpè affirmant dicta cœlestia, & Paulus inquit: *Quos elegit, hos & vocauit.* Pertinet autem promissio gratiæ etiam ad infantes, & ad eos tantum qui Ecclesiæ inferuntur, quia de his dictum est: *Sinite paruulos ad me venire, quia talium est regnum cælorum.* Ergo infantes inferendi sunt Ecclesiæ per baptismum, vt promissam salutem consequantur. Hoc argumentum sumtum ex fontibus scripturæ, pijs satisfacit. Nam in bona causa tria verba sufficiunt.

DE

DE COENA DOMINI.

CAPVT I.

De appellationibus Cæna Domini.



Sitatum est nomen huius ritus apud Græcos *ευχαριστία*: quia certissimum est, in hoc ritu Deo & Domino nostro Iesu Christo gratias agendas esse, vt Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone inquit: *Ideò utimur Cæna Domini, vt & Deo gratias agamus, qui Mundum, & omnes res condidit propter homines, & Domino nostro Iesu Christo, qui passus est, vt animas hominum ab omni peccato purgaret, & principatus ac potestates perfectè destrueret.* Nota est etiam appellatio *λεῖψυγίας*, qua pij complectuntur non solùm Cænam Domini, sed totum quod ibi agitur; concionem, distributionem Cænae, Inuocationem, gratiarum actionem. In Aegypto à distributione elemosynarum, Cænam Domini nominarunt *ἀγάπην*. Hæc appellatio apud Tertullianum est in Apologetico: *Cæna, inquit, nostra de nomine rationem suam ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, videlicet, quòd dilectio penes inopes sit; Siquidem inopes quoq; isto refrigerio iuuamus.* Hæc appellationum consideratio historica est, & ostendit veterem consuetudinem.

CAPVT II.

De communicatione corporis & sanguinis Christi.

NON dubium est Filium Dei adesse ministerio, quod instituit, & per illud efficacem esse. De hac præsentia & efficacia Filij Dei in prædicatione Euangelij &

administratione Sacramentorum, necesse est Ecclesiam
 fideliter erudiri, vt agnoscamus Dominum nostrum Ie-
 sum Christum adesse Ecclesiæ inde vsque ab initio, &
 esse caput, omnia in omnibus perficiens. Sic autem adest
 in Cœna instituta, vt testetur se nobis credentibus ap-
 plicare beneficia, quæ morte sua meruit, & communi-
 catione sui corporis & sanguinis nos membra facere sui
 corporis, & velle se in nobis efficacem esse, & nostram
 miseram massam insertam sibi velle seruare & viuifica-
 re. Hanc sententiam de applicatione beneficiorum
 Christi, & consociatione cum ipsius corpore, & de effi-
 cacia in his qui accedunt fide ad Cœnam Domini, con-
 firmat luculenta concio, quæ extat apud Ioan. 6. cap.
*Ego sum panis viuus, qui venit ad me non esuriet, & qui credit
 in me non sitiet vnquam. Item: Si quis ederit de hoc pane, viuet
 in eternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego da-
 bo pro mundi vita. Qui edit meam carnem, & bibit meum san-
 guinem in me manet & ego in illo. Sicut me misit Pater viuens,
 & ego viuo propter Patrem: ita qui ederit me, viuet ipse quoque
 propter me: quasi dicat, Conuersi ad Deum non sentiunt
 consolationem, nisi fiducia Christi, & Deus admirando
 consilio non vult eos recipere, nisi propter obedienti-
 am & meritum huius personæ, nec viuificat eosdem suo
 Spiritu Christus, nisi fiant membra capitis eius, & infe-
 rantur massæ assumptæ à Filio. Sic Paulus 1. Corin. 10. in-
 quit: Panis, quem frangimus, est *κοινωνία* corporis Domini. Lo-
 quitur autem de *κοινωνία*, qua sumus vnum corpus, & co-
 hæremus vni corpori Christo. Disertè enim inquit:
Vnum corpus multi sumus, qui ex eodem Pane participamus.
 Docet etiam hanc *κοινωνία* non posse consistere cum *κοι-
 νωμία* demoniorum. Non potestis, inquit, poculum Domini
 bibere, & poculum demoniorum: non potestis mensæ Domini
 participes esse, & mensæ demoniorum. His diuinis concioni-
 bus ad-*

bus adiungamus dicta piæ vetustatis. Chrysoſtomus enarrans cap. 5. Ebr. inquit : *Quid est, participes facti sumus? Vnum fide facti sumus nos & ipse; quia ipse caput, nos corpus & coheredes eiusdem capitis. Sumus autem vnum corpus ex carne ipsius, & ossa ex ossibus ipsius. Quod est autem initium fidei? Fides, per quam subsistimus & creati sumus, & eiusdem cum Christo essentia sumus, seu essentia Christi inserimur.* Augustinus tract. 26. in Ioh. *Hoc est manducare illam escam, & illum potum bibere, in Christo manere, & illum in se manentem habere.* Idem lib. 21. de Cœna Domini, cap. 25. *Non dicendum est eam manducare corpus Christi, qui in corpore Christi non est.* Prosper sententia 338. *Caro Christi, fidelium vita est. Fiant ergo corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi, de quo non viuit nisi corpus Christi.* Et sententia 339. *Escam vitæ accipit, & poculum vitæ bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, non carnem eius manducat, nec sanguinem bibit, etiam si tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ presumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Hilarius lib. 8. de Trinit: *Hæc accepta & hausta, faciunt ut & nos in Christo & Christus in nobis sit.* Ex his dictis & multis alijs perspicuum est, credentes, qui Cœna Domini vtuntur, non modo beneficiorum & efficaciarum, sed etiam corporis & sanguinis Domini fieri participes, & hoc pignore (id est pane & vino, siue Cœna) confirmari, quod certò sint membra Christi, & quod pro ipsis Christus quoque suum corpus tradiderit. Alios verò sine fide accedentes ad Cœnam Domini, fieri reos corporis & sanguinis Domini, & iudicium sibi accersere, non discernendo hunc cibum & potum à Cœna quotidiana.

CAPVT

De finibus Cœnæ Domini.

Primus finis Cœnæ Domini est, vt hæc sumptio sit nobis tanquam pignus, quo confirmati credamus, verè nos esse & fieri membra Filij Dei, & ablutos esse sanguine Filij, atque ita statuamus nobis certissimè dari remissionem peccatorum, non propter hanc sumptionem, sed propter Filium Dei, qui fuit victima pro peccatis, & nunc regnat & colligit & sanctificat Ecclesiam. Ita fit applicatio beneficiorum Christi propria fide & propria sumptione, non aliena oblatione Sacerdotis, quia manifestum est institutam esse sumptionem singulorum, sicut dicitur: *Accipite, manducate.* Nec existimetur hoc spectaculum simile esse Tragœdiæ Herculis aut Thesei, vt profani homines imaginantur, vbi mortuorum & absentium recordatio fit; sed viuit Filius Dei, & regnat, & vult adesse Sacramento suo in hunc vsum instituto, & nos sibi tanquam membra copulat, & sine vlla dubitatione ibi efficax est, in ijs, qui fide sumunt, & hac consolatione se sustentant.

Postea sunt alij fines totius actionis: Primus ille est, de quo dixi, vt fides exuscitetur, applicans nobis beneficium Christi, sicut Abraham cogitatione Circumcisionis exuscitabat fidem lætabaturque promissione feminis.

Secundus est gratiarum actio; quia recordatio beneficij simul accendere gratitudinem debet. Hinc est visitata appellatio *εὐχαριστία*. Et Cyprianus complectitur vtrumque finem; affirmat accipienda esse beneficia Christi; & vicissim agendas esse gratias. *Pietas inter data & condonata se diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori.*

Tertius

Tertius finis est, vt sit neruus publicæ congregationis, in qua vult Deus sonare & conseruari vocem ministerij Euangelici, & ideò dicitur: *Quotiescunq; hoc feceritis, mortem Domini annuntiabitis.* Ac vult Deus semper honestos & publicos congressus esse, & eos sua bonitate conseruat & tuetur.

Quartus finis est, vt in publico congressu sit testimonium Confessionis: quia vult Deus hac sumtione conspici, quam doctrinam & quos cultus apprehendamus.

CAPVT IIII.

Qui sint ad Cœnam admittendi & qui ab eadem arcendi.

ILLI tantùm ad Cœnam admittendi sunt, quorum ætas ad hanc actionem idonea est. Nam Cœna Domini instituta est, vt sit ceremonia publici congressus cum prædicatione Euangelij, vt Paulus inquit: *Quoties panem hunc manducabitis, mortem Domini annuncietis.* Hæc non conueniunt infantibus, sed ijs quorum ætas iam vtunque intelligit doctrinam, & explicare suam conscientiam potest. Satis igitur est, infantes insertos esse Ecclesiæ per Baptismum. Deinde nondum baptisati, arcendi sunt à Cœna Domini; vt olim de Paschate non licebat edere, nisi circumcisis. Postremò illi non admittendi sunt, qui vel palàm tuentur errores pugnantes cum fundamento doctrinæ cœlestis; vel perseuerant in flagitijs notorijs.

CAPVT V.

De usu integræ Cœnæ, & de Profanatione huius Sacramenti.

CVM testamentum hominis nemo mutare debeat, multò minùs testamentum Dei mutandum est, vt

C Paulus

Paulus inquit ad Galatas, Cœna Domini est proprium noui Testamenti sacramentum, vt Christus inquit: *Hic est Calix noui Testamenti.* Ergo nemini licet aut licuit hanc ordinationem mutare, aut partem abolere. Deinde cum verba Christi & Pauli expressè de sumptione loquantur: *Accipite, comedite.* Item: *Panis est κοινωνία σώματος.* Et: *Nihil habeat rationem sacramenti extra ordinem institutum:* iure & meritò damnamus adorationem Papisticam in circumgestatione, repositione, & Missis Papisticis: Quia hæc aliena sunt ab institutione, quæ de sumptione loquitur, non de illis spectaculis rei extra vsum institutum. Itaque nec transsubstantiationem, aut inclusionem localem recipimus prorsus ignotam vetustati: Nec tamen in actione, nuda signa esse dicimus societatis cum Ecclesia, sed dicimus verè & substantialiter adesse Christum, & facere nos membra sui corporis, & applicare nobis sua beneficia, & velle in nobis efficacem esse.

C A P V T VI.

*Rationes quibus ostenditur Christum
non ore manducari.*

I.

Primum argumentum ducitur à natura Sacramentorum.

MANducatio corporalis aut est signum, seu sacramentum: aut est signatum, seu res sacramento confirmata. Res autem signatæ seu confirmatæ sacramentis sunt eæ tantùm, quæ continentur in Euangelij promissione, vt omnes partes beneficij Saluatoris. Impossibile enim est arrhabonem obsignare res alias, quàm quæ
nuncu-

nūcupatæ sunt in promissione seu pacto, cuius est pignus. Vel: Impossibile est sigillum aliud obsignare, quàm quod in diplomate, cui appensum est, continetur.

Manducatio autem corporalis nusquam continetur in promissione Euangelij.

Ergo Christus non voluit eam nobis confirmare sacramento, & non est res signata. Atque sacramenta seu signa sunt visibilia. Ideo enim instituta sunt, vt fulciant infirmitatem nostram; quod non facerent, nisi sensu perciperentur.

Manducatio autem corporalis non est exposita sensui.

Ergo manducatio corporalis non est signi seu ceremoniæ pars. Cùm igitur manducatio corporalis nec signum, nec signatum sit, locum habere non potest.

II

*Alterum argumentum sumitur à veritate humana
nature in Christo.*

Natura humana non est simul & semel in cælo & in terra. Nam simul & semel esse vbique seu in diuersis locis, non cōpetit naturæ humanæ seu corporeæ; imò ne vlli quidem creaturæ finitæ, sed cōpetit soli naturæ omnipotenti & infinitæ.

Humana autem natura Christi non assumpsit proprietates naturæ diuinæ soli cōpetentes. Hoc enim esset ex humana diuinam fieri, eiusque veritatem abolere & tollere.

Non igitur est vbique, & in diuersis locis simul & semel. Actrīstissimum quidem cogitatu est, quod aliqui, vt defendant semel susceptam causam, qualis ea sit, nimis intolerabili audacia in Ecclesiam inuehunt res &

locutiones ex diametro cum veritate diuina, & nostra consolatione pugnantes, dum garrunt de naturali & physica communicatione idiomatum, quæ non est res significatiua. Hac enim dicunt proprietates naturæ diuinæ transfusas esse in naturam humanam, & contrà. Quod cum palàm sit Eutychianum & Suenckfeldianum, ratione humanæ naturæ, quod eam Deificent; & ratione diuinæ naturæ Arrianum, cum citius Mundum perire necesse sit, quàm diuinam naturam fieri passibilem, euerti necesse est eodem modo, & tolli penitus consolationem Christianam. Nam si vtraque natura in Christo post vnionem fuit passibilis, neutra verè potuit esse diuina, & sic neutra resurgere potuit, & sic spectrum discipulis est ostentatum, non verum & rediuuum corpus ostensum est. Si verò vtraq; non fuit passibilis, tum neutra verè fuit humana, & sic Christus non potest esse noster Pontifex. Huc addi potest quod in Actis dicitur, quòd necesse fuerit, vt cælum contineret Christum donec rediret; quod necesse est intelligi de natura humana. Nam secundùm diuinam naturam nobiscum quoque est vsque ad consummationem seculi, & cæli & terra eum non capiunt, Ierem. 23. Et quidem ideo Christus visibiliter in cælum ascendit, vt sciremus eum non euanuisse non mutatum esse in spectrum, aut aliam naturam, sed nostram carnem euexisse supra omnes creaturas; & eam nunc in illa luce esse, in qua Deus immediatè conspicitur. Sic Paulus iubet interpretationem, quam Prophetiam vocat, seu doctrinam nostram, ἀνάλο-
 λογον esse articulis fidei. Et in Symbolo dicitur: *Ascendit ad cælos, sedet ad dextram Dei Patris. Deus & homo, sicut vidistis eum ascendere, sic eum redeuntem videbitis.* Nec tamen in simulo Lutherum, quem fatendum est fuisse organum Dei electum, & nos genuisse in Christo. Et si enim
 vt im-

vt imbecillitatis humanæ exemplum Deus nobis proponeret, & hac occasione Ecclesiam exerceret, ille falsam hanc speculationem, non quidem inuexit, sed ex veteri illuue Scholasticorum Doctorum retinuit: tamen in defensione eò vsque non progressus est, vt manifestè articulos fidei conuelleret, quod isti faciunt, qui nunc, dum soli videri eius discipuli volunt, miserabiliter eum, & Ecclesias lacerant deformantque. Aliqua etiam, quæ ille obuijs vlnis amplectebatur; illi respunt, vt: *Nihil habere rationem sacramenti extra usum institutum.* Quia hæc regula euertit omnia deliria Papistica, de gestatione Christi in manibus Sacerdotum; de manducatione impiorum & infidelium.

III.

Tertium sumitur à cultu Dei, & adoratione Christiana.

Certum est post ascensionem Christi, non esse inuocationem dirigendam ad certum aliquem locum. Ioh. 4. *Veniet hora, quando neq; in monte hoc, nec Hierosolymis adorabitis, &c.* Matth. 24. *Si dixerint vobis: Ecce hic, &c.* Nam alligare Deum rei, aut certo loco sine expresso ipsius mandato, & aliter Deum colere, quàm præcepit, est idololatricum. Atque hæc idololatriæ species etsi est subtilior, quàm horribilior: tamen sub specie pietatis omnibus temporibus in mundo grassata est, quam Deus non minùs odit, ac puram illam, crassam & manifestam, quæ palàm colit ligna & lapides, vel aliud, quod non est Deus. Ideoque primum mandatum iubet, nulli rei præstare cultum diuinum, nisi soli Deo patefacto in Ecclesia. Secundum verò mandatum non vult fieri sculptile, id est, illum vnum verum Deum non vult vt aliter

colas, quàm ipse præcipit. Non enim Iudæi aut alij Idolatræ tam stupidi erant aut impudentes, vt docerent se ligna & lapides adorare, sed Deum in illis adorare. Sed hoc tempore aliqui non cogitant, æquè horribile peccatum esse, si creatura instituat cultum Dei sua auctoritate, vel institutum à Deo mutet. Iam verò si Christus adest corpore in loco panis, blasphemi sunt, quicumque negant, inuocationem esse dirigendam ad locum panis. Vbicunque enim constat Christum adesse corpore, siue videatur, siue non videatur, ad eum locum dirigenda est inuocatio. Quia humanæ naturæ Christus Deus se alligauit, & filius colitur vna λατρεία, sicut Thomas rectè dirigit inuocationem ad eum locum, in quo Christus est. Nec effugiunt, qui volunt videri modestiores, dum aiunt: Christum non esse ibi adorandum, quia non mandauit se ibi adorari, sed manducari. Nihil enim opus est speciali mandato, cùm generale satis sit manifestum, & certum de adorando Christo, vbicunque scimus eum ibi esse. *Ipse est Deus tuus, & adorabis eum.* Item: *Vt omnes honorent filium, sicut honorant Patrem.* Et Thomas adorauit eum in conclaui sine specicali mandato. Sentiunt saxei homines se hîc teneri constrictos arctiùs, quàm vt elabi possint: ideoque potiùs quàm videantur errasse, concedunt Christum esse adorandum in pane, vt recenter Musculus & Islebius hac horribilicacitate retinent & confirmant neruum præcipuum Maozim, ac totius regni Pontificij. Breuiter repetam argumentum: Vbicunque est Christus corpore, in eo loco est adorandus.

Sed in pane, vel ad panem, non est adorandus.

Ergo non est ibi corpore. Nam sic eum in aliquo loco sistere, & tamen ab eo loco arcere inuocationem, est ei diuinum honorem atq; adeò diuinitatem detrahere.

III. Quar-

IIII.

*Quartum ducitur à coniunctione Sanctorum
cum Christo.*

QVæ credentes recipiunt intra se, ea post acceptio-
nem intra ipsos manent. Seu quod idem est: Chri-
stus non aliter à credentibus accipitur, quàm quemad-
modum post receptionem in ipsis manet & habitat. Ideo
enim Christus se nobis communicat, non vt postea eua-
nescat in nobis, aut à nobis discedat, sed vt perpetuò
maneant ipse in nobis, & nos in ipso: *χαρίσματα* enim
sunt *ἀμεταμέλητα*.

Sed Christus non habitat in nobis secundum huma-
nam naturam, seu, vt crassissimè dicam; Corpus Christi
non est intra corpus nostrum.

Ergo nec manducatio nec receptio est corporalis,
qualem isti fingunt.

Hoc argumentum bene considerent pij. Existimo
enim hinc lucem accedere toti causæ, & infirmis, qui-
bus graue videtur, tollere manducationem, quæ fit ore,
animum restitui, dum explicat, quæ fit vera manducatio
Christi. Maior itaque argumenti est manifesta cum ex
fine seu consequenti manducationis, tum ex hoc prin-
cipio: Deus est verax. Non enim ludit nos fallaci obfi-
gnatione, vel communicatione rerum, quas nos non
vult retinere. Minor est itidem manifesta ex toto scri-
pturæ consensu, de coniunctione Sanctorum cum
Christo.

CAPVT VII.

De communicatione Christi.

Dicendum iam est, qualis sit *κοινωνία* seu communica-
tio Christi, id est, eius manducatio seu receptio, &
in fan-

in sanctis habitatio. Hic facile ostendi potest, quanto-
 pere, improbanda sit eorum oratio, qui dicunt se nolle
 quærere de modo, quo Christus se nobis communicet.
 I. Quia Spiritus sanctus eum copiosè tradidit, & incul-
 cavit eum in libris sacris. Quæ autem in ijs expressè
 tradita sunt, ea & propter voluntatem Dei, & propter
 nostram vtilitatem discenda sunt. II. Quia certum est
 hanc doctrinam afferre pijs consolationem dulcissimam
 & necessariam: cùm econtra illa de manducatione den-
 tium sine consolatione sit, religionem verò stupidam
 quandam & terrificam mentibus incutiat. Vt igitur de
 re breuissimè dicam, summam ita complectar: Christus
 communicat se nobis, merito, efficacia & essentia.

De merito & nouis effectibus, in nobis nulla lis est.

De essentia verò considerandum est; huius partici-
 pationem puto sic posse exprimi: Essentia siue persona
 Christi communicatur nobis secundum vtramque na-
 turam, sed seruatis vtriusque naturæ proprietatibus. Id
 verò sic declaratur: Christus secundum naturam diui-
 nam & habitat in nobis, seu intra nos est, & nos sibi co-
 pulat, cuius copulationis medium seu vinculum est Spi-
 ritus sanctus, iuxta dictum 1. Ioh. 3. & 4. *In hoc cognosci-
 mus, quòd maneat in nobis & nos in ipso, quia de Spiritu suo dat
 nobis.* Secundum humanam naturam nos quidem sibi co-
 pulat, sed non in nobis est, seu habitat. Copulationis hu-
 manæ ratio est, quòd copulata nobis diuina natura, quæ so-
 la vbiq; est, necessariò etiam copuletur humana. Quia
 hæ duæ naturæ sunt vnitæ, vnione hypostatica. Ac si
 quis affirmat naturam humanam Christi intra nos exi-
 stere, qua conscientia id faciat, ipse viderit. Nos quidem
 eum tanquam nimis nugantem in diuinis rebus, & scri-
 pturæ prorsus contradicentem non audimus. Atque
 hanc meminimus esse probationem Maioris quarti
 argumen-

argumenti suprà expositi. De inhabitatione τῷ λόγῳ in scriptura multa dicta loquuntur; Vt: Ioh. 14. *Veniemus ad eum, &c. Qui manducauerit carnem meam &c. in me manet & ego in illo.* Ephes. 3. *Vt Christus habitet per fidem in cordibus vestris.* Hæc diuinæ naturæ propria sunt. Non minùs multæ & illustres Conciones extant de copulatione, quæ vtriq̃ue naturæ communis est, vt: *Ipse est caput nostrum, nos membra ipsius sumus. Ipse est vitis, nos palmites. Sumus os ex ossibus eius, & caro de carne eius. Sumus vnum cum ipso. Erunt duo in carnem vnã; quod mysterium magnum est, ad Christum & ad Ecclesiam,* inquit Paulus. *Caro mea verè est cibus, &c. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Hæc dicta testantur non satis esse, Christum pro nobis factum esse victimam, sed oportere nos etiam inferi massæ, humanæ naturæ ab ipso assumptæ, vt eodem Spiritu & nostra, quo ipsius humana natura, viuificetur, & præstet in nostra humana natura id, quod in sua assumpta præstat. Hoc verò dum fit, non est eius corpus intra nostra corpora, quemadmodum caput non est intra cetera membra, nec vitis intra palmites, & contrà; sed membra capiti, palmites viti necesse est cohærere & insitas esse, vt vitam ex capite & vite hauriant. Hanc verò viuificationem non impedit, quòd interuallo disiuncta sunt, modò vinculum, quo cohærent, & vita transfunditur, intercedat. Sicut pedes, etiam si à capite distant, viuificantur tamen & mouentur eadem anima, quæ in capite est, dummodò arterijs & neruis ei copulati sint, per quos spiritus ad eos transeant: Sic, licèt humana natura Christi super cælos eleuata sit, nostra verò in terris repat, illi tamen nihilominus inferta est & copulata multò arctiore vinculo, quàm si nostra corpora ingrederetur. Idem enim λόγος, qui in Christo, non tantùm essentialiter & effectiue, sed etiam perso-

D naliter

naliter habitat, idem inquam, in nobis habitat essentialiter & effectiue, & copulatus est illi capiti & nobis membris, illi viti & nobis palmitibus, nisi quod modus copulationis est diuersus. Idem Spiritus sanctus, qui habitat in Christi corpore, habitat in nobis, & per eum sicut caput, ita & membra viuificantur. Hæc à pijs probe vrgenda, & reuerenter cogitanda sunt, & explicanda phrasibus scripturæ, quæ multæ & illustres sunt. Non frustra inculcauit nobis Christus communicationem non tantum diuinæ, sed etiam humanæ suæ naturæ, & voluit sacramenta esse, ritum Cœnæ, qui hanc potissimum suorum beneficiorum communicationem pingere. Vt enim panis & vinum nutriunt vitam corporis, cum ex illis nutrimentum adiungitur, seu accrescit substantiæ nostrorum membrorum. Sic ex Christi massa, vita in nostram deriuatur, cum illi fide coalescimus, unimur & inserimur mediante Spiritu sancto. Hinc igitur de piorum consolatione aliquid cogitari potest. Non satis fuit Christo, talem inter nos & ipsum, esse coniunctionem, qualis est inter fratres. Voluit quoque eam esse, quæ est inter membra eiusdem corporis, qua nulla maior ne cogitari quidem potest. Quomodo igitur non poterit nos amare, curare, fouere, seruare, tueri, sanare, ornare, & saluare? Quomodo membrum Christi, qui est ad dextram Dei, relinquetur in morte? Non tantum igitur per copulationem intelligatur similitudo naturæ & proprietatum in Christo & in sanctis, sed etiam copulatio physica, quæ fit mediante Spiritu sancto. Ea qualis fit, intelligemus demum in æterna vita. Nunc eam esse, satis est nos scire & credere. Mentio coniugij non frustra est vsurpata à Spiritu sancto: Vt enim ardentem vero & mutuo amore Coniuges se inuicem osculantur, & in osculo transfusio fit spirituum ex altero corpore in alterum,

terum,

rum, quasi essent idem corpus: Sic ille noster Sponsus inuolat in nostra colla, & nobis dat osculum, quo Spiritum suum in nos transfundit. Faxit igitur Filius DEI, ne contra autoritatem scripturæ diuinæ contendentes & disputantes quid in pane sit quæramus, & quid sit & esse debeat in nobis obliuiscamur, cum in Symbolo dicatur expressè de Christo: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælo: Et verba institutionis Cœnæ, non propter panem, sed propter auditores recitantur. Meminerimus etiam argumentum Pauli: *Qui habet interpretationem, videat ut sit analogia fidei*, ne impugnet & euertat naturas & proprietates naturarum in Christo, & cogitet regnum Dei non esse in potu & esca situm, id est, in externa Ceremonia, sine fide ex opere operato, Amen.



DEFINITIO COE-
 NAE DOMINICAE PIA ET
 ERVDITA, TRADITA IN LIBEL-
 LO EXAMINIS THEOLOGICI D.
 PHILIPPI MELANCHTHONIS, ET
 EXPLIGATA A VICTORINO
 STRIGELIO.

COENA Domini est communicatio
 corporis & sanguinis Domini no-
 stri Iesu Christi, sicut in verbis Eu-
 angelij instituta est, in qua sumtione Filius
 Dei verè & substantialiter adest, & testatur
 se applicare credentibus sua beneficia, & se as-
 sumsisse humanam naturam propter nos, ut
 nos quoq; sibi insertos Fide membrâ sua faci-
 at, & nos ablutos esse sanguine suo. Simule et-
 iam testatur, se velle in credentibus deinceps
 esse, & se, cum sit λόγος & aeterni Patris, docere,
 viuificare & regere credentes, sicut inquit
 Ioh. 15. Manete in me, & ego in vobis: Qui
 manet in me, & ego in eo; id est, qui fide re-
 tinet Euangelium, in eo verè adest Filius
 Dei.

Quem-

Quemadmodum reliquorum sacramentorum: ita & Cœnæ Dominicæ appellatio relatiua est. Cum autem Sacramenta collocentur in prædicamento Actionis, inde Genus sumendum est.

Fundamentum itaque (quod idem est cum genere in relationibus) est tota actio visibilis, diuinitus instituta, hoc est, communicatio corporis ac sanguinis Christi, verè ac substantialiter præfentis.

Christus adest non propter panem, sed propter hominem, inquit Philippus. Non igitur fingatur aliqua physica copulatio corporis & sanguinis Christi cum symbolis, sed *κοινωνία*

via, id est, Unio Christi, & sumentis: quia actio hominem, non panem, respicit, iuxta dictum: *Accipite, & comedite. Facite hoc ad mei commemorationem.* Ac tota formula institutionis in usu Cœnæ recitatur propter homines astantes, & non propter elementa illa externa in altari posita.

Terminus est testificatum, id est, testificatio de applicatione beneficiorum; de insertione in corpus Christi; & de viuificatione.

Inter hæc duo Relatio est, hanc totam actionem diuinitus ordinatam, seu institutam esse, vt applicentur eredentibus beneficia Christi hoc modo, dum fide ipsi quasi incorporantur, & vitam ex eo percipiunt.

Definitio relata ad præceptiones Dialecticas: Fundamentum habet totam illam actionem visibilem, sicut est instituta in verbo. Et sacramenta sunt in prædicamento Actionis, id est,

sunt ordinationes diuinæ voluntatis, quæ expressa est in verbis institutionis. Terminus est res significata, id est, quæ exhibetur. Hoc est, illud totum, quod postea sequitur in definitione, Cœnæ, pertinet ad terminum, sic fructus omnes. Non aqua tantum est fundamentum baptismi: Sic in Cœna non sunt fundamentum illa Symbola, sed materialia & fundamenta sunt

ipsæ actiones visibiles congruentes ordini instituto diuinitus: Sicut Fundamentum & materiale baptismi est actio illa visibilis externa, vt, mersio in aquam, & pronuntiatio verborum, omnia congruentia institutioni: Ita fundamentum & materiale Cœnæ est externa actio visibilis, vt, manducatio, & bibitio (vt ita dicam) panis & vini, & pronuntiatio verborum, omnia iuxta institutionem. Terminus aut seu res significata baptismi est abluui sanguine Christi, & mundari à peccatis. Sic terminus Cœnæ est, verè participem fieri veri corporis & sanguinis Christi, &c. Breuiter: Fundamentum est signum, res terrestres, & sacramentalis manducatio, quæ fit ore in externis signis seu Symbolis. Terminus est res signata, cœlestis & spiritualis manducatio, quæ fit ore cordis seu fidei in rei veritate.

Ex his tribus magno consilio & summa diligentia extruxit Author definitionem Cœnæ Dominicæ in Textu, ad formam definitionum causalium.

Efficiens est Filius Dei, ordinans ac instituens hanc Cœnam,

Materia est (iuxta Irenæum) res terrestres, panis & vinum: & cœlestis, corpus & sanguis Christi.

Forma ac Finis (quæ semper coincidunt in reatiuis) est vnio summentis cum Christo. Nunc singula definitionis membra ordine declarabimus,

In priorem partem definitionis, quæ continet Fundamentum Cœnæ Dominicæ.

Communicatio. Hoc vocabulum, quod generis loco ponitur, sumtum ex 10. cap. 1. ad Corinth. epistolæ, Non est obscurum, qui vel à primo limine salutarunt Græcam linguam, *κοινωνία* communicationem, societatem, consociationem, & non essentialem vnionem seu mixturem significare. Et *κοινωνικός* communicatiuus, qui libenter communicat alteri. Sic *κοινωνία* est vox relatiua. Attendendum enim est vbi actiuè, vbi passiuè sumatur.

Signi-

Significat autem hinc passiuè, scilicet, quia nobis communicatur. Ac quemadmodum alibi Paulus Euangelium nominat, *Potentiam Dei ad salutem omni credenti*, id est, organum, quo Deus potenter saluat credentes: Sic in hoc præsentis loco, Cœnam vocat *κοινωνίαν* corporis & sanguinis Christi, id est, talem rem seu actionem, seu ceremoniam visibilem, per quam nobis communicatur corpus & sanguis Christi, seu qua unimur cum corpore & sanguine Christi. Vtrobique *μετάληψις* est, in qua effectus ponitur pro causa instrumentali, & hæc omnia intelligenda sunt effectiuè.

Quod vt meliùs intelligatur, addo hanc sequentem declarationem: Christus se nobis communicat tripliciter. 1. merito. 2. efficacia. 3. Essentia. De merito & effectibus nullalis est.

De essentia verò sciendum, personam Christi nobis communicari secundum vtramque naturam, sed cum discrimine.

Diuina & habitat in nobis, & nos sibi copulat, sicut dicitur: Ioh. 14. *Venimus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Ephes. 3. *Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris.* 1. Ioh. 3. & 4. *In hoc cognoscimus, quòd in nobis maneat, & nos in ipso, quia de Spiritu suo dat nobis.*

Humana verò natura nos sibi copulat quidem, sed non in nobis est seu habitat. Copulationis huius medium, seu vinculum est Spiritus sanctus. Dicta igitur, quæ de totius personæ copulatione loquuntur, necessariò intelligenda sunt, ita vt feruetur proprietas vtriusque naturæ. Ipse est caput nostrum, nos membra ipsius. Ipse est vitis, nos palmites. Vnum cum ipso sumus, &c. Quemadmodum caput non

P. M. Tota antiquitas hanc propositionem, *Christus est vbique*, sic declarauit: *Christus est vbique personaliter.* Et verissimum est, filium est in-

est intra palmitem: sed contra potius, membra capiti, palmites viti adhærent: Sic non necesse est, vt Christus caput nostrum corporaliter intra nos sit, modò nos ipsi vt membra & surculi spiritualiter simus vniti, nec impedit hanc vnionem locorum disiunctio. Etsi enim humana natura Christi super omnes cælos eleuata sit, nostra verò in terris repar, illi tamen nihilominus inserta est, & copulata multò arctiore vinculo, quàm si in nostra corpora ingrederetur. Idem enim λόγος, qui in Christo non tantùm essentialiter & effectiue, sed etiam personaliter habitat, idem, inquam, in nobis habitat essentialiter, & effectiue, & copulatus est illi (humanæ naturæ) capiti, & nobis membris; illi viti, & nobis palmitibus, nisi quòd modus copulationis est diuersus. Rursus: quemadmodum pedes, etsi à capite distant, viuificantur tamen & mouentur eadem anima, quæ in capite est, dummodo arterijs ac nervis ei copulati sunt, per quæ spiritus ad ea transeant: Sic idem Spiritus sanctus, qui habitat in corpore Christi, habitat etiam in nobis, & per eum sicut caput: ita & membra viuificantur. Cùm igitur certissimum sit, carnem & sanguinem Christi non physicè, seu corporaliter intra nostra corpora habitare, manifestum etiam hoc est, quòd non physicè, seu oraliter, vt loquuntur, accipiatur. Dubium enim non est, quin eodem modo, quo in nobis manet & habitat, etiam nobis communicetur. Hæc vnica ratio, quæ

Dei, totam personam, Deum & hominem habitare in nobis. Sed antiquitas reiecit hanc propositionem. *Humanitas corporaliter habitat in nobis*; & dixit vtramque retinere sua idiomata. Et Augustinus, & alij affirmant, corpus Christi esse in certo loco. Etiam Lutherus à me interrogatus de loco Rom. 8. *Si Christus in vobis est, &c.* dicebat, se sic intelligere, vt paulò antè ibidem scriptum est: *Siquidē Spiritus Dei habitat in vobis.*

quæ à fine communicationis sumitur, etsi pijs omnibus meritò satisfacere debebat: tamen quia multi hodie pro manducatione orali acerrimè, tanquam pro aris & focis pugnant, recitabo aliquot firmissimas rationes, quæ hanc crassam imaginationem à regno Dei alienissimam esse ostendant.

*Rationes, quibus ostenditur Christum
non ore corporis manducari.*

I. Ratio,

*Aconiunctione sanctorum cum Christo seu à forma
substantiali Cœnae Dominicae.*

Quoniam ratio superior, quam à fine communicationis Christi sumtam esse diximus, valde illustris est, & infirmis, quibus graue videtur tolli manducationem, quæ fit ore corporis, animum restituit, dum explicatur, quæ fit vera manducatio Christi: non dubitavi eam in forma Syllogismi repetere hoc modo.

Communicatio Christi nobiscum debet esse durabilis. Ideo enim communicatur, vt maneat vnum nobiscum, & sit in nobis efficax. Nam iuxta Cyprianum: *Manducatio est mansio nostra in ipso, & potus est quedam quasi incorporatio.*

Sed corporalis communicatio non est durabilis, id est, Christus non habitat in nobis corporaliter, vt omnes fateri coguntur.

Ergo Christus non communicatur nobis corporaliter, seu oraliter, vt loquuntur.

E II. Ratio,

II. *Ratio, à natura, seu partibus Sacramentorum.*

Manducatio corporalis aut est signum: aut res signata. Tot enim sunt partes essentielles Sacramentorum, non plures, nec pauciores.

Signum esse non potest, quia non est visibilis, & necesse est omnium sacramentorum Ceremonias esse visibiles, cum ideo instituta sint, ut fulciant infirmitatem nostram, quod facere non possent, nisi sensu perciperentur. Res verò signata ideo non potest esse oralis manducatio, quia non continetur in promissione Evangelij, & ex tantum res sacramentis confirmantur, quæ continentur in promissione. Impossibile enim est, arhabonem obsignare res alias, quàm quæ nuncupatæ sunt in promissione, seu pacto, cuius est pignus. Item: Impossibile est, sigillum aliud obsignare, quàm quòd in diplomate, cui appensum est, continetur.

Cum igitur oralis manducatio neque ad signum, neque ad rem signatam pertineat, & non sint plures partes sacramentorum essentielles, manifestum est quòd prorsus nulla sit.

III. *Ratio ab impossibili.*

Christus ipse in 6. Ioh. capite (quod veteres omnes tam Græci, quàm Latini, ad sacramentum Cœnæ accommodant) manducationem oralem clarissimè refutat his verbis: *Quid si videritis filium hominis ascendentem ubi fuit prius?* quasi dicat, carnale somnium de corporali manducatione carnis meæ ipso facto refutabit veritas ascensionis meæ in cœlum. Nam ascendere in cœlum non significat, ex visibili fieri inuisibilem, sed
ex hoc

ex hoc Mundo inferiore migrare in locum cœlestem, & corporali locatione spacium aliquod occupare finitum, iuxta veri corporis modum, non tantum vniuersa scriptura Apostolica, sed etiam tota vetustas Græca & Latina vno ore affirmat. De his verbis Christi in Iohan. sic Athanasius inquit: *Quot hominibus corpus eius suffecisset ad cibum? Propterea ascensionis suæ in cœlum meminit, ut eos à corporali intellectu abstraheret, & ut carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis, & spiritualem alimoniam ab ipso donandam intelligerent.* Vigilus lib. 4. *Quando caro Christi in terra fuit, non erat utiq; in cœlo, & nunc quia in cœlo est, non est utiq; in terris.* Augustinus in Epist. ad Dard. *Dominum nostrum Iesum Christum non dubites in loco aliquo cœli esse propter veri corporis modum.*

III. Ratio, ab inutili.

IN eodem 6. cap. Iohan. Dominus oralem manducationem alio argumento sic refutat: *Caro non prodest quicquam, Spiritus est, qui viuificat; verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Hic manifestum est, Christum non loqui de sua carne, quæ certè non inutilis est ad viuificandum: (Viuificat enim naturam nostram partim merito, quia promeruit nobis vitam æternam, quæ per fidem credentibus confertur: partim efficacia, quia τὸ λόγῳ copulata, similem in nos vitam transfundit) sed de carnali imaginatione, quæ somniat corpus Christi corporaliter, siue crasso, siue subtili modo manducari.

V. Ratio, à testimonijs veterum.

CYrillus cum à quibusdam reprehenderetur, quòd suis hyperbolicis locutionibus de negotio Cœnæ videretur asserere, carnem Christi essentialiter come-

flam corporibus infundi, & per contactum naturalem viuificare, respondens huiusmodi cauillationibus, expressè reijcit ἀνθρώπων φαντασίαν, & postea addit: *Cur mentem ad crassas imaginationes irreligiousè intrudis, & humanis cogitationibus subijcis ea, quæ sola, pura, & exquisita fide capiuntur?* Vbi particula exclusiua nullam admittit distinctionem inter visibilem & insensibilem, inter naturalem & supernaturalem manducationem oralem.

Cyprianus: *Nostri & Christi coniunctio non miscet personas, nec unit substantias, & nominatim loquitur de Cœna.*

Ambrosius: *Non corporaliter, sed per fidem tangimus Christum. Item: In illo Sacramento Christus non est corporalis esca, sed spiritualis. Item: Ipse quoque Christus bibit ex calice, & edit, ne auditis his verbis illi dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? & ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi scandalum passi sunt. Ne igitur tunc quoque accideret, primus ipse hoc fecit, ut tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.*

Bernhardus: *Non est cibus ventris, sed mentis, id est, sicut non est corpori destinatus, ita neque corporaliter accipitur: sed ab anima spiritualiter sumtus pascit eam ad vitam æternam.*

Hieronymus: *De hac hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, (sci. vel de corpore Christi spiritualiter in Cœna oblato, vel de Symbolis quæ sunt corpus Christi sacramentaliter) edere licet: de illa verò quam Christus in ara crucis obtulit secundum sese, nulli edere licet.*

Augustinus: *Quia Christum fas vorari dentibus non est, voluit ipse hunc panem & vinum in mysterio verè carnem & sanguinem suum consecrare. Item: Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti. Item: Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis,*
nec

nec bibituri sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliud commendavi vobis, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Idem: Putastis quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus sum, membra mea concisurus, & vobis daturus; illud quidem manducare refici est; illud quidem bibere nil nisi vivere. Tunc autem corpus & sanguis Christi unicuique vita erit, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur.

VI. Ratio, ab absurdo.

SI corpus Christi oraliter, & physicè manducatur, non erit unum & simplex, sed multiplex, id est, totuplum, quot sumta fuerint symbola à communicantibus in terra, inde à prima institutione usque ad finem mundi. Et sic non erit verum corpus; quia *VNUM & VERUM* conuertuntur, hoc est, quicquid verè subsistit in rerum natura, illud est unicum numero, iuxta Regulam: *Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est.*

Sed corpus Christi, quod sumitur à pijs, & unum & verum est, non phantasticum seu imaginarium, ut habet articulus fidei.

Ergo non potest physicè, seu corporali ore comedi; sed fide, ac spiritualiter tantum. Id quod sæpiùs fieri potest, ac debet in vita, quia creber usus carnis Christi quædam affinitas est, & creber potus quoddam desiderium manendi in ipso, ut ait Cyprianus.

Sicut in verbis Evangelij instituta est.)
Institutio Cœnæ constat præcipuè quinque particulis, ex quarum singulis certæ doctrinæ, seu regulæ extruuntur.

Prima particula est de Ceremonia externa, quod, videlicet

delicet, Christus panem acceptum, & gratiarum actione iam in sui corporis symbolum consecratum fregerit. Quo verbo significatur, panem non essentialiter conuerti in corpus Christi: quia cum in passione non fuerit fractum, nec frangi debuerit, iuxta dictum Exod. 12. quod citat Iohannes; multò minùs frangetur in Cæna, vtpote iam glorificatum, nec vlli iniuriæ obnoxium. Ideo Paulus etiam fractionis meminit 1. Corin. 10. vnde omnis *μετέστω*, id est, transsubstantiatio Papistica expressè tollitur.

Obiectio: Panis in Cæna frangitur. Sed corpus Christi non frangitur. Ergo panis non est corpus Christi. Resp. Concedo panem non esse corpus Christi, scilicet propriè & essentialiter; sed eo modo, quo etiam dicitur frangi, videlicet, sacramentaliter. Nam propter analogiam seu similitudinem quam habent symbola cum rebus ipsis, & propter copulationem signorum & rerum in vero vsu, sæpe nomen vel proprietas signi tribuitur signato, & contra per Metonymiam, quæ figura omnibus sacramentis tam veteris quam noui Testamenti propria ac familiaris est.

Secunda particula est de mandato: *Accipite, edite, bibite*. Hinc regula extruitur, quæ plurima idola Pontificia euertit: *Quòd, videlicet, nihil habeat rationem sacramenti extra sumtionem & usum diuinitus institutum*. Ergo non tantùm disputationes illæ, de symbolis extra vsum otiosæ sunt & inanes: verùm etiam adoratio Papistica in repositione, circumgestatione, & Missis priuatis, iure ac meritò damnanda est.

(Vt cum quæritur: *an corpus Christi conteratur dentibus, ac descendat in ventriculum*. Item: *an Mus rodens panem consecratum, comedat corpus Christi, &c.*)

Hanc regulam Paulus quoque confirmat, dum non simpliciter dicit, panem esse corpus Christi, sed esse

CORNELIUS

communicationem corporis Christi, quo significat, symbolum non habere rationem corporis, nisi in pio & legitimo usu. Hinc etiam definitio nostra in Textu vocabulum *communicationis*, cum nomine *sumtionis* commutat. Cum enim prius dixisset: Cœna Domini est communicatio: Postea non ait: in qua communicatione, sed in qua sumtione.

Tertia particula est de ordinatione, seu promissione. Nam de pane & calice consecrato pronunciat Christus: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*. Hæc particula docet, panem & vinum in Cœna non esse nuda symbola, & tantum signa societatis in Ecclesia, & ipsam Ceremoniam non esse ociosum spectaculum, aut memoriam tantum hominis mortui, aut absentis, ut quidam docuerunt, sed esse communicationem corporis & sanguinis Christi, quæ complectitur applicationem beneficiorum Christi, consociationem cum ipsius corpore, & efficaciam in his qui sumunt fide.

Quarta particula determinatiua est: *quod pro vobis traditur: qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*: Hæc verba non tantum verum & naturale corpus denotant, quod ex virgine assumtum, postea pependit in cruce; verum etiam beneficia Christi includunt, & eorum applicationem, quæ fit per fidem. Vnde quemadmodum præcedens particula distinxit symbola in Cœna à nudis & vacuis signis: ita hæc rursus omnem *συγγένειαν*, id est, essentialem copulationem, & localem inclusionem corporis Christi cum symbolis excludit. Quemadmodum enim merita ac beneficia Filij Dei, quæ in solis actionibus, passionibus ac relationibus consistunt, ad corporalia signa realiter alligari non possunt: ita nec ipsa substantia carnis Christi, essentialiter cum symbolis connexa est. Non igitur propriè, sed figuratè panis dicitur

dicitur corpus Christi, videlicet, per *μετὸνυμίαν*. Est enim perpetua consuetudo vocis diuinæ signis externis (quæ Deus, vt mederetur infirmitati nostræ, verbo suo addidit, tanquam pignora applicationis æternorum bonorum ad singulos credentes) tribuere appellationem rei signatæ, sicut ostendunt hæ propositiones: *Circumcisio est fœdus. Agnus est Pascha. Hic est sanguis fœderis. Baptismus est lauacrum regenerationis.* Ideo Lucas vt explicaret tropum sacramentalem in propositione priori: *Panis est corpus meum:* In altera deinde non dicit eodem modo: *Calix est sanguis meus:* sed: *Hic calix est Testamentum in sanguine meo,* hoc est, signum seu pignus omnium beneficiorum, quæ ego promerebor effusione sanguinis mei, quem postea sub vini symbolo spiritualiter do in potum. Et Paulus repetit hanc Lucæ phrasin, tanquam magis perspicuam, quam ipse etiam ad panem accommodat, in-
 quiens: *Panis est communicatio corporis,* id est, est illud sigillum visibile, cum quo nobis communicatur corpus Christi, id est, quo fit consociatio cum corpore Christi, vt & antea dictum est, & postea de modo præsentia copiosius explicabitur.

Quinta & postrema particula est de legitimo fine seu usu Cœnæ: *Hoc facite in mei commemorationem.* Quæ verba prorsus, vt præcedentia, loquuntur de applicatione beneficiorum Christi, quæ morte sua nobis promeruit. Hanc autem fieri sine fide est impossibile. Est enim fides correlatiuum promissionis. Hinc firmissimè sequitur, quod sicut ex parte Dei: ordinatio seu promissio Dei, *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus:* ita ex parte nostra fides (quæ in sequentibus applicationum verbis: *quod pro vobis traditur: quod pro vobis effunditur in remissionem peccatorum,* correlatiuè includitur) sit anima huius sacramenti. Quapropter sicut in altera parte huius ministerij,

sterij, videlicet, in prædicatione verbi, cuius finis ac
 scopus est articulus de iustificatione: ita etiam in hac,
 videlicet, in Sacramentis, retinenda est exclusiua: **S O -**
L A F I D E. Hinc regula extruitur, quòd *usus sacra-*
mentorum sine fide sit persona utenti ociosa Ceremonia. Item:
 quòd *increduli, siue sint hypocrita, siue impij, non accipiant in*
Cæna ipsum corpus & sanguinem Christi, sed nuda tantum si-
gna. Ideo Paulus de indignè fumentibus ait, non quòd
 participes reddantur, sed quòd tantum rei fiant corporis
 Christi, (quia videlicet careant fide, neque discernant
 corpus & sanguinem Domini à cibo & potu profano.) Item:
 quòd *iudicum sibi sumant, non corpus & sanguinem Christi.*
 Et 1. Corin. 10. simpliciter ait, *impossibile esse, ut qui calicem*
demoniorum bibunt, possint simul etiam bibere calicem Domi-
ni. Nam qui discordat à Christo, inquit Prosper senten. 39.
nec carnem eius manducat, nec sanguinem eius bibit, etiam si
santæ rei sacramentum (id est sacrum symbolum) ad iudici-
um suæ presumptionis quotidie indifferenter accipiat. Cumque
 manducatio corporis Christi, nihil aliud sit, quàm man-
 sio quædam in ipso, & potus nihil, quàm incorporatio,
 vt ex Cypriano suprâ retulimus, non potest manducare
 corpus Domini, aut bibere eius sanguinem is, qui nec
 est, nec manet in corpore Christi, seu qui non est mem-
 brum eius, vt Augustinus expressè affirmat lib. 21. qui
 propterea de Iuda non dubitat pronunciare, quòd cum
 reliqui discipuli manducassent panem Dominum, id est,
 verum corpus Christi, vnâ cum pane, iste solummodò
 comederit panem Domini, id est, symbolum in corpus
 consecratum. Vt igitur concludamus; quemadmodum
 fideles extra casum quidem necessitatis accipiunt rem
 cum signo; in casu verò necessitatis rem sine signo: ita
 impij & infideles accipiunt signum sine re, quia non
 F credunt,

credunt, quod exhibent. Hostes verò qui sunt extra Ecclesiam, nec signum, nec rem accipere manifestum est.

In qua sumtione Filius Dei verè & substantialiter adest.)

HAec verba opponuntur profanæ imaginationi, quæ fingit, hanc sacram actionem esse tantum repræsentationem quandam Christi longè absentis à suis. Et, ut ipse Dn. Præceptor explicat hæc sua verba, meminerint Studiosi, eruditissimam formulam scriptam VVormaciæ, quam confessionis loco habere possunt: *De Cæna Domini retinemus Confessionem Augustanam, & Apologiam. Nec dubium est Filium Dei adesse ministerio, quod instituit, & per illud efficacem esse. Sic autem adest in hoc ministerio substantialiter, ut communicatione sui corporis & sanguinis nos membra faciat sui corporis, & testetur se nobis applicare sua beneficia, & velle in nobis efficacem esse, et nostram miseram massam insertam sibi velle seruare & viuificare, sicut & Hilar. loquitur: Hæc sumta & hausta faciunt, ut ipse sit in nobis, & nos in ipso. Sic & Irenæus & Synodus Nicena loquuntur: hanc consociationem cum ipsius corpore, & adplicationem beneficiorum & efficaciam complectentes. Cum autem verba Christi & Pauli expressè de sumtione loquantur: Accipite, manducate. Itè: Panis est κοινωvία σώματος, et nihil habeat rationem Sacramenti extra actionem institutam, damnamus adorationem Papisticam in circumgestatione, repositione, & Missis priuatis: quia hæc sunt aliena ab institutione, quæ de sumtione loquitur, non de vllis spectaculis rei extra institutum usum. Itaq; nec Transsubstantiationem aut inclusionem localem recipimus, prorsus ignotam vetustati. Nec tamen in actione nuda signa esse dicimus, & tantum signa societatis cum Ecclesia: sed dicimus verè & substantialiter adesse Christum, & facere nos membra sui corporis, & adplicare nobis sua beneficia, & velle*

& velle in nobis efficacem esse. Et forma loquendi ex Paulo, & ex antiquis scriptoribus idonea sumi possunt: Ac valde optamus, ut de simili forma deliberetur à pluribus viris pijs & eruditis. Haecenus D. Philip. Adest igitur Filius Dei in sua Cœna liberè, & exacto, non aliqua obligatione physica, vel substantiali ad illas res externas, sed adest præsentia efficacis, quæ homini credenti est salutaris, in quo vult efficere ea, quæ promittit Euangelium. Quod autem in Apologia dicitur: Habitare Christum in nobis corporaliter, verum est, sed non habitat in pane corporaliter. Adest enim (vt sæpe iam dictum est) propter fumentem, & in fumente fideli est efficax, vt piè & orthodoxè dixit Dominus Præceptor, quod nulla sophistica eludi potest.

Etsi autem ex his, quæ hæcenus de vera communicatione carnis Christi, & de particula determinatiua in Cœnæ institutione dicta sunt, refutata est satis consubstantiatio: tamen vt magis confirmetur imbecilles, recitabo adhuc vnum atque alterum argumentum: Primum ab effectu ad causam.

Grammaticum est: Aduerbia verbis adiunguntur, vt determinent modum subsistendi, vel explicent circumstantiam aliquam.

Quando determinatione aduerbii, corporaliter, dicitur adesse Filium Dei, excipitur natura diuina Filij Dei, tunc est scandalosa o-

ratio. Sic aduerbium, corporaliter, exclusiua esset, quasi tantum humana natura adesset. Cùm autem quispiam vellet dicere, Christum adesse corporaliter secundùm vtramque naturam, videtur sonare quasi totus Christus sit corporeus, quod est absurdiss. & falsiss. Abijt enim corpore suo (vt nos sacrae literæ, & orthodoxi Patres docent) à nobis, & reliquit Mundum. Tota igitur persona quæ est Deus & homo, adest suo verbo & sacramentis verè & substantialiter. In summa præsentia Filij Dei in ministerio est vniuersalis; nec aliter sacramentis adest, quàm suo verbo, neque alio modo in illis apprehendi-

rum, quàm in suo verbo predicato, audito, &c. Nā fides, vt Paulus ait, ex auditu est: auditus autem per verbum. Rom. 10.

Sicut habitat Christus in sanctis: ita etiam communicatur. Et rursus: Sicut communicatur ac sumitur: ita etiam adest in Cœna.

Sed nec habitat, nec sumitur corporaliter, quod hactenus demonstratum est.

Ergo etiam neque corporaliter adest.

Secundum argumentum: Non absolutum corpus, sed relatiuum datur in Cœna, scilicet quatenus pro nobis traditum est, seu quod habet respectum ad merita & beneficia Christi.

Sed beneficia ipsa non nisi per fidem spiritualiter percipiuntur, nec possunt essentialiter copulari cum symbolis.

Ergo & ipsum corpus tantùm spiritualiter percipitur per fidem, nec essentialiter ad symbola alligatur. Notentur adhuc duo argumenta, quæ *συγγράμματα*, id est, essentialem copulationem corporis & sanguinis Christi cum externis & visibilibus symbolis, pane & vino perspicuè refutant.

I. *Argumentum à veritate humane nature in Christo.*

Natura humana non potest esse simul & semel in cœlo & in terra.

Ergo inane figmentum est *συγγράμματα* contumeliosum in carnem Christi. Hoc argumentum vt eludant nonnulli, fingunt realem idiomatum communicationem, qua Ubiquitatem carnis Christi inuisibilis defendere conantur, & sic non tantùm veram humanitatem Christo adimunt, in qua omnis nostra spes & consolatio sita est, sed etiam pro vero corpore & sanguine Christi
in Cœ-

in Cœna merum phantasma nobis substituunt. *Negans enim proprietates, negat naturam*, ait Regula Lutheri. Theodoretus: *ἢ τῶν ἰδιότητων ἀναίρεσις τῶν φύσεων ἐστὶν ἀρ-
νησις*. Quod igitur contendunt, pios non posse esse partici-
pales corporis & sanguinis Christi, nisi realiter adsint
vnâ cum pane & vino, & corporali ore manducantur, id
rectissimè inuerti potest, quod videlicet, omnes qui vo-
lunt veri corporis & sanguinis Christi participes fieri,
nullam *συνσχίαν*, aut oralem manducationem sibi fin-
gere debeant.

Alij ad omnipotentiam diuinæ clypeum confugiunt,
quo fieri posse contendunt, vt humana natura Christi
simul & in cœli certo sit loco, & in Cœna. His respon-
demus: Omnipotentiam Dei non pugnare cū voluntate
ac veritate Dei, quo fit, vt multa Deo sint impossibilia,
non simpliciter, sed ex hypothesi, id est, quia ipse sibi
hanc legem liberrimè circumdedit, quam ideo mutare
non potest nec vult, quia mentiri, ac se ipsum negare
non potest. Sicut igitur tria nunquam possunt esse qua-
tuor, nec triangulum esse potest quadratum, quàm diu
fuerit triangulum: Sic corpus verum suis dimensio-
nibus constabit, quàm diu corpus manserit, nec in na-
turam spirituales mutabitur.

Postremò multi etiam non mali, sed tamen nimis in-
cautè simplices, existimant hoc argumentum tantum-
modò ex humanæ rationis conclusione oriri, quæ ratio
nihil detrahat de rebus diuinis, atque ita securè conte-
mni posse. Vt igitur appareat, non de principio physico,
sed Theologico hîc disceptari, considerent omnes pîj, sicut
modò ijdem sunt dociles, veros huius argumentationis
neruos. Primò hoc inter omnes constat, in dictis diuinæ
vocis, & præcipuè in doctrina fundamenti, nullam esse
veram & realem contradictionem, quia Deus locutus

est nobiscum nostris vocibus, voluit sese intelligi, non verò vlla ambiguitate, sicut folijs Sibyllę, decipere. Iam cum istę duę propositiones: Panis est corpus Christi: & corpus Christi physica locatione est in cælo, quod docet articulus fidei, verè & realiter inter se pugnent, impossibile est vtramque intelligi sine tropo. Verùm articulus fidei, qui habet plurima ac certissima testimonia scripturę & antiquitatis, figuratè intelligi non potest. Et quomodo articulus fidei cedere posset ordinationi Cœnæ, quę & propter illum instituta est, & solùm in hac vita locum habet, cum veritas carnis Christi, ad quem verę & essentielles proprietates necessariò requiruntur, in æternum sit duratura? Vt igitur propositio sacramentalis, quę vnica tantùm est, articulum fidei suffulciat (ad hoc enim data est, vt confirmet articulum) ac non euertat, necessariò intelligitur cum tropo, qui omnibus sacramentis familiaris est.

Hic etiam considerentur incommoda ac pericula, quę ex huius argumenti vel elusione vel contemptu sequuntur. Neq; enim solùm petulantibus ingenijs conceditur infinita licentia ludendi opinionibus, vt lubet, dum omnipotentia Dei tam iniquè & intempestiuè pretextitur, & contradictoria in scripturam introducuntur: Verùm etiam alia magis horrenda sequuntur. Tota antiquitas ex hoc vno fundamento contra πνευματομάχας propugnauit veritatem Spiritus sancti, quòd, videlicet, omnis substantia quę simul & semel in pluribus locis sit, infinita sit ac æterna. Iam si humana natura in Christo simul & semel est in pluribus locis, tamen non est essentialiter Deus, vt isti affirmant, nec Spiritus sanctus erit statim necessariò essentialiter Deus, etiamsi de eo scriptura affirmat, quòd sit simul & semel in pluribus locis. Quòd etiam humana in Christo natura tollatur, &

tur, & in diuinam conuertatur, si vnus & eiusdem temporis respectu *πολυσημία* ipsi tribuatur, supra ex ipsius Lutheri regula demonstratum est. Sunt & alia absurditates, quæ ex huius argumenti negatione, vel impugnatione sequuntur, quas breuitatis causa nunc omitto.

II. *Argumentum à testimonijs orthodoxæ
vetustatis.*

Veteres ex mysterio Cœnæ probant veritatem corporis Christi.

Ergo ne sciuerunt quidem aliquid de *συνσεία*.

Tertullianus lib. 4. contra Marcionitas: *Acceptum panem & distributum discipulis corpus illud suum fecit, hoc est, corpus meum dicendo, i. figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Vacua enim res, quod est phantasma figuram capere non potest.* Chrysostomus: *Si Christus veram carnem non habet, inania sunt hæc symbola, quia, videlicet, res fictitias nobis representarent.* Theodoretus: *Si caro in naturam diuinitatis mutata est, quam ob causam percipimus *ἀντίτυπα* corporis & sanguinis? Superuacuum est enim typus, sublata veritate.* Ratio consequentiæ est, quia ipsi defendunt naturam ex proprietatibus, quibus sublatis, negant verum corpus esse. Et contra Marcionitas quidem hoc principium constituunt: *Omne verum ac naturale corpus humanum, ubicumq; est, pro sua natura visibile est ac palpabile. Quidquid verò inuisibile est, ac impalpabile, phantasma est, aut spiritualis natura.* Contra Eutychianos verò acerrimè propugnant finitam & circumscriptam corporis Christi iam glorificati naturam, & asserunt illud in vno tantùm loco, qui nunc in cœlis sit, esse debere, ne veritas eius, locorum pluralitate destruat, neque verum & naturale corpus esse desinat. Iam si constitisset aliquid apud veteres de consubstantiatione, Aduersarij validè
hoc

hoc argumentum inuertere potuissent hoc modo: Imò Eucharistia testatur, Christum non habere verum corpus. Sic enim ratiocinamur: Sublatis proprietatibus corporis essentialibus, perit ipsum corpus. Iuxta vestram doctrinam, corpus Christi in Cœna nullam retinet proprietatem corporis: Neque enim visibile est, neque tangibile, nec circumscriptum, nec in vno loco. Ergo non est verum & naturale corpus, sed phantasticum, aut certè in spiritualement naturam est mutatum. Quia igitur nemo vnquam tale quid obiecit, manifestum est, quod ne quidè suspicari aliquid potuerunt Hæretici de *συμβολα*: Et si approbassent consubstanciationem Orthodoxi, cur non potius tacuissent de Cœna, quàm vt tam periculofam rationem vsurpando se in aduersariorum fauces tradidissent, ac totam causam de veritate carnis Christi prodidissent. Qualis enim tunc quæso fuisset argumentatio: Corpus Christi nullo spacio contentum, nec figura præditum, atque omnibus dimensionibus exutum, in Cœna orali manducatione essentialiter sumitur. Ergo adhuc habet verum corpus Christus. His addantur aliquot testimonia seu dicta veterum, quæ ostendunt, quomodo intellexerint has propositiones: Panis est corpus Christi: Vinum est sanguis Christi, videlicet, per tropum sacramentalem, non de essentiali copulatione elementorum & corporis Christi. Cyprianus ad Cæcilium: *Sanguis Christi est in calice non essentialiter, sed symbolicè: quia videlicet, ibi est symbolum sanguinis.* Augustinus de Consecrat. dist. 2. *Corpus Domini appellamus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, in memoriam Dominicæ passionis sumimus.* Synodus Nicena iubet nos in mensa Domini, non in hære symbolis, sed sublata in altum mente per fidem recolere illum Agnum, qui tollit peccata Mundi. Sic vetus Ecclesia inter com-

per communicandum clara voce iussit **CORDA SVR-
SVM** tollere. Postremò tota antiquitas tam Græca
quàm Latina, à temporibus Apostolorum vsque ad Ca-
roli Magni seculum, ita enarrauit hanc propositionem:
Panis est corpus Christi, id est, sacramentum, symbo-
lum, signum, figura, similitudo, commune factio, signi-
ficatio, typus, repræsentatio &c. corporis Christi: Ne
quis putet, carnem Domini
secundùm se, & absolutè con-
sideratam cum symbolis esse
coniunctam, neque apud vl-
lum reperitur hæc expositio:
Panis est corpus, id est, signum
corporis, verè & substantia-
liter præsentis; Imò contra
potius affirmant, ideo Domi-
num voluisse panem in cor-
poris sacramentum consecra-
re, quia vero suo corpore in
cælum erat ascensurus, na-
turam eius terris auferens.
Item: Panem benedictum
non tantùm corporis, sed et-
iam ipsius passionis sacramen-
tum appellant, quæ certè vt
accidens iam præteritum, sub-
stantialiter cum pane vniri
non potest. Denique panem
& vinum nominant corpus
& sanguinem Christi extra
vsum etiam. Ergo non lo-
quuntur de corporali præsen-
tia, sed de relatione, quæ si-

Corpus Christi duplici-
ter consideratur. 1. Abso-
lutè, id est, in sua essentia.
2. Relatiuè, id est, respectu
symbolorù in Cæna, quæ
sacramentali modo loquē-
di, sunt ac dicuntur ipsius
corpus. Sicut igitur relati-
uè tantùm sumus iusti, id
est, ita vt imputetur Chri-
sti iusticia, dum persona ip-
sius sit nostra per fidem
cum omnibus suis benefi-
cijs, non autem absolutè, id
est, vel essentiali diuinitatis
Christi in habitatione, vel
propter transfusas ex car-
ne Christi qualitates in
nos: Sic etiam in Cæna par-
ticipes reddimur carnis
Christi, non absolutè, id
est, ita vt corpus ipsius phy-
sicè intra nos descendat,
sed relatiuè, respectu, vide-
licet, symbolorum, quæ
dum fide accipiuntur, spi-
ritualiter nos cum carne &
sanguine Christi coalesce-
re faciunt in vnum corpus.

G

gnificat

gnificat ordinationem, videlicet, destinatas esse has res, vt in vsu sint pignora applicationis corporis & sanguinis Christi.

Hæc sequentia sparsim excepta sunt ex ore eiusdem D. Victorini, quæ hoc loco addere placuit, ne pagellæ vacuæ essent.

Idem alibi.

Multi, vt scitis, hoc tempore vrgent τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ Domini, & nullam volunt audire interpretationem, non quidem rationi blandientem, sed scripturæ consentaneam, & dicunt mordicus esse retinendas singulas literas & syllabas in verbis Cœnæ. Contra hos rectè citatur particula de calice, de quo dicit Paulus 1. Cor. 11. Luc. 22. *Hic calix est nouum testamentum in meo sanguine. Vel: Hic est calix noui testamenti.* Potestne aliquis in hac descriptione calicis, vel alterius partis Cœnæ Domini vrgere τὸ ῥητὸν, sine vlla declaratione? Certè si est homo sanus, fatebitur opus esse figurata interpretatione. Nam neque calix, neque vinum, quod est in calice, propriè appellatur nouum testamentum. Si enim vis definire calicem, aut vinum, non pones loco generis aut differentię, Nouum Testamentum.

Alibi.

Christus dicit Ioh. 6. *Caro non prodest quicquam.* Hinc aliquis imperitus non admonitus argumentatur: Ergo caro Christi est inutilis. Absit, est vtilissima, saluberrima, est instrumentum nostræ salutis. Non enim Deus voluit perficere saluationem nostram, nisi in carne Filij Dei, assumpta ex virgine, & ideo adhuc retinet ad dextram Patris carnem suam, & veram carnis substantiam, vt sit nobis vtilis & salutaris. Quid igitur significat: *Caro non prodest quicquam?* Caro, id est, carnales imagi-

imaginationes de manducatione Messiae, Capernaitica imaginatio, siue crassa, siue subtilis, *ist ein so gut als das ander.*

Alibi.

Videndum est vbi τὸ πρῶτον retinendum sit, & vbi quaerenda sit δίανοια, non rationi blandiens, sed analogae fidei. Præclare enim à Cyrillo dictum est: *Intentio potius spectanda est, quam urgenda verba contra dicentis mentem.* Sic aliqui defensores τῶ πρῶτον in verbis Cœnæ argumentantur: Non offendit hæc oratio, qua vsus est Christus in verbis Cœnæ, mentes discipulorum, qui alioqui erant rudes & imperiti, & ferè de singulis rebus, etiam minimis, solebant Christum interrogare. Cùm igitur in Cœna non disputauerunt de sententia horum verborum, retinendum est τὸ πρῶτον.

Speciosa sanè & plausibilis obiectio, sed quid respondet de hac re Chrysostronus? *Discipuli audiuerant Ioh. 6. Christum concionantem de manducatione sue carnis, & erant assuefacti ad has formas loquendi: Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet, &c. Quare intellexerunt Apostoli institui in Cœna ob signationem illius manducationis, de qua concionatus erat Christus Ioh. 6. Hæc dico vt intelligatis regulam citatam. Nemo dicit, & nemo est audiendus, qui dicit, quòd in Cœna Domini tantùm participamus panem & vinum. Ita enim non differret Cœna à conuiuio profano & quotidiano. Non seruit ventri Cœna Domini, sicut domesticus cibus & potus, sed verus est cibus & potus animæ. Non tantùm in Cœna participatur panis & vinum, vt aliqui calumniosè aliorum dicta interpretantes dicunt, sed verè manducatur caro Christi, & sanguis Christi, sed iuxta analogiam fidei, iuxta Symbola, iuxta enarrationem Ioannis & Pauli.*

Alibi.

Verbum Dei piè intelligendum est sine opinionibus carnalibus. Hanc admonitionem tradit Psalm. 47. *Pfallite Domino sapienter.* Et prouerb. 30. *Omne verbum Dei purgatum (rectè intellectum) clypeus est sperantibus in eum.* Et Paulus Coloss. 3. *Sermo Dei habitet inter vos abundè cum omni sapientia.* Sapientia opponitur ignauia & sophistica. Non intelligatis verba Dei calumniosè & sophistica, *Ewlnspieglich* / sicut Pharisei intellexerunt concionem de manducatione carnis Christi, cum dicerent: *Quomodo potest nobis suam carnem dare; durus profectò hic est sermo.* Hos refutans Christus inquit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, sunt Spiritus & vita. Caro non prodest quicquam, id est carnales imaginationes de manducatione Mellis. Spiritus autem est qui viuificat.*

FINIS.



IUDI-

IVDICIVM D. VICTORINI
STRIGELII DE BELLIGERANTI-
EVS CONTRA EVANGELICOS, IVSSV CVIVS-
dam Principis scriptum.

PROPOSITIO,

*Vtrum aliquis sit excusatus in sua conscientia, quòd sub specie
promouendæ Augustanæ Confessionis, proficiscitur contra
Caluiniſtas.*

Rationes confirmantes hanc ſententiam: quòd nemo
poſſit bellum inferre ijs, qui odioſo nomine Calui-
niſtæ appellantur, propter doctrinam de
Cœna Domini.

I.



*Igniſſimum eſt hominis natura, dijudicare contro-
uerſias præſertim in Eccleſia, non armis, ſed oratio-
ne, & ſapientia.*

*Sunt autem duo genera decertandi: Vnum per
diſceptationem, alterum per vim, quorum illud proprium eſt
hominis, hoc beluarum.*

*Cùm igitur liceat uti ſuperiore, non eſt confugiendum ad po-
ſterius, nec cædiſus hac cauſa, qualiſcunq; videtur, dijudicari
debet.*

II.

Nihil eſt innouandum lite pendente.

Eſt autem controuerſia de Cœna Domini lis pendens.

*Ergo non ſunt violenta conſilia tentanda contra eos, qui alte-
ram partem litis ſuſtinent. Nam violentis conſilijs, nec ſeruari
mentes, nec tranquillitas Eccleſiæ reſtitui poteſt.*

III.

Executio debet ſequi legitimam cognitionem.

G 3

Hæc

Hæc verò controuersia hæctenus non est legitimè cognita ac dijudicata.

Quare executio in aliud tempus differenda est.

III.

Deut. 17. traditur regula iudicij his verbis: Audias, inquiras bene, & cum fuerit verum & certum, punias.

Veritas autem in hac causa nondum satis percepta & cognita est ab ijs, qui alteram partem nec audiuerunt, nec rationes quas affert, ponderarunt.

Non igitur properandum est ad pœnam.

V.

Nihil dubitante conscientia suscipiendum est.

Cum igitur aduersarij, qui vocantur odioso nomine Calvinista, nondum legitimè conuicti sint:

Non potest aliter fieri, quin conscientia inferentium eis bellum propter doctrinam, dubitet. Vbi autem dubitatio est de re tanta, fugit mens, non inuocat Deum. Quid autem est tristius & detestabilius, quàm impedire inuocationem Dei?

VI.

In causis capitalibus necesse est probationes luce meridiana clariores esse.

At probationes, quæ hæctenus contra Calvinistas allatæ sunt, nequaquàm cum luce meridiana comparari aut debent aut possunt.

Ergo differenda est executio, donec euidentiores & clariores probationes afferantur.

VII.

Nemo debet alijs exemplo nocere, ut David parcens Sauli noluit esse autor mali exempli interficiendorum regum in populo Dei.

Qui autem adiuant seuitiam, quæ exercetur in Calvinistas, sunt autores mali exempli, quo Papa & alij Tyranni palàm abutuntur in interficiendis sanctis, quocumq; titulo à Papatu descendibus.

Quare hoc prauum exemplum interficiendorum hominum innocentum, non est stabilien-

Impio-

VIII.

Impiorum furor non est confirmandus, iuxta hac dicta Psal. 26. Odi Ecclesiam malignantium, & cum impijs non fe- debo. Psal. 139. Perfecto odio oderam illos. 2. Paral. 19. Im- pio præbes auxilium, ideo iram merebaris.

Sunt autem Papistæ contaminati manifesta idolomania, & respersi cruore sanctorum, & conspurcati libidinibus.

Ergo furor eorum non est confirmandus.

IX.

Quicumque non dissentiunt à Symbolis: Apostolico, Niceno, Athanasiano, nec turpitudinem in moribus recipiunt, non de- bent vi aut impressione hostili oppugnari.

Caluinistæ amplectuntur omnes articulos expressos in symbo- lis, nec manifestam turpitudinem in moribus recipiunt.

Itaq; non debent haberi in numero hostium Ecclesie.

X.

Nemo debet aliena seuitiæ minister fieri. Qui enim iungun- tur in culpa, in pœna non separantur.


Iam verò constat interfectores Caluinistarum impietati et vi- rulentis odijs Papistarum morem gerere, & præbere voluptatem Antichristo, qui gaudet in sinu, quosdam Principes pro ipso arma gerere, ac sperat se talium operâ possessionem, ex qua honestis et pijs consilijs deturbatus est, aliquando recuperaturum esse.

Nemo igitur his Tyrannis se adiungat, ne pœnas graues, iu- stasq; crudelitatis sibi accersat.

Victorinus Strigelius scribebat anno 1568. Heidelbergæ, iussu Electoris Friderici Palatini, quo tempore gener Iohan. V Vilhelmus Saxo, copias Germanicas ducebat contra Euangelicos.

37 ⁶
47

X 2199794



S A C
E X P C
S T R I S
M I N O,
ci Saxon
marscha
loco

*In fine
plice
libel
N*

TYP

I S
L V-
D O-
D V-
Archi-
ionis
e-
ini ex-
rica, in
hilippi

H.

